

Nr.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- 11.
- 12.
- 13.
- 14.
- 15.
- 16.
- 17.
- 18.
- 19.
- 20.
- 21.
- 22.
- 23.



I. N. 7.

XXXVII

DISPUTATIO PHILOSOPHICO-PRACTICA

De

EXILIO,

quam
proprio Marte elaboratam.

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimoq;

DN. JOH. FRIDER. SCHARFIO,

J. U. D. celeberrimo & h. t. Procancellario atq; Decano

Philosophicæ Facult. in Academ. Wittebergenſi

Spectatissimo

Dn. Patrono & Studiorum suorum Promotore multum colendo,
publico examini submitter


M. GEORGIUS Krüger /

Rector Ol. Scholæ Storcov. apud Marchicos, nunc Civis

Academ. Wittebergenſis

ad d. 17. Octob. An. 1674.

In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

L. M. J.
DISPUTATIO PHILOSOPHICO PRACTICA

DE

EXILIO

proprio more elaborata

PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo
DN. JOH. FRIDER. SCHARFIO

J. U. D. celeberrimo & h. c. Procancelario acq. Decano
Philosophicæ Facult. in Academiâ Lipsiensi

Specjalissimo

Da. Patrone & Studiosum Honoris Praesentis huiusmodi
libello exornato summi

M. GEORGIUS

Rektor. Ol. Scholæ Studior. apud Marchicos, huiusmodi
Academiæ Lipsiensi

ad d. 1. Octob. An. 1744

in Lipsiensi


Ad d. 1. Octob. An. 1744

Specjalissimo

LUCK MATHIAS HANCKEL, An. 1744





 Voniam cuilibet Academiae civili-
tum de quacunque materia (caeteris tamen paribus)
in Universitate sese exercere: ita quoque materiam
nostram nuperius de exilio Theologico-practice
examinatam, hac vice Philosophico-practice ad illam magis ma-
gisque illustrandam, illudque per quaestiones, continuare & contem-
plari lubet. Adsit Deus incepto!

QVÆSTIO I.

An qui de exilio disputat, proprie sit exul?

Quaestio Logica est. Sed nullo consequentiae vinculo inferri
potest: disputat de exilio E. est exul. Respondemus itaque (1) negando.
Sicuti n. inepte simpliciter concludimus ita: Disputat de ebrie-
tate E. est ebrius: Disputat de bello E. est miles: Disputat de for-
titudine s. virtute E. est fortis s. virtuosus: Disputat de monstro
E. est monstrum. Ita quoque recte non concluditur sic absolute: disputat
de Exilio E. exul. (2) Distingvendo inter necessarium & contingens.
Contingens est, non necessarium, aliquem esse virtuosum, qui de
virtute discurret: Contingens est non necessarium, aliquem esse
militem, qui de bello discurret: ita quoque non est necessarium, sed
contingens aliquem esse exulem, qui de exilio disputat. Et potest
non esse exul. (3) suo modo concedendo. Si loco exercitii disting.
inter exulem proprie & improprie sic dictum, concedere possu-
mo qui de exilio disputat, sicut omnis homo, improprie & Theo-
logicè esse exulem. Sed de proprio exule non procedit. (4) distin-
gvendo inter id, quod est theoreticè & practice tale. Sicut ille qui de
militia bene discurret theoreticè est miles, licet non practice. Sic
quoque si non practice, theoreticè tamen sive contemplative qui
de exilio discurret, exul non negatur.

A 2

QVÆ-

QVÆSTIO II.

*Ad quamnam disciplinam propriè exilium
pertineat?*

De exilio uti ferè nullus, hactenus nobis prævit ex profes-
so: ita rudi Minerva (ut dicitur) de eodem nobis erit differen-
dum. *Exilium pro diversâ consideratione ad diversas disciplinas
pertinere videtur.* Exilium Christianè consideratum crux & me-
dicina est, & eatenus ad Theologiam refertur. Exilium est pœna
vindictiva & sic Politico placet. Exilium infert dolorem atq;
tristitiã, quæ ob privatam patriam aliaque bona ac peregrinatio-
nem molestam homo pati necessitatur, atque ita in Physicâ con-
siderari potest. Exilium est aliquid h. e. ens & hoc respectu à
à Metaphysicò contemplatur. *Quod si verò accuratius naturam
exilii consideremus, eamq; ad verum exigamus, quatenus est status ho-
minis molestus atq; dolorosus, ad Politicum non immeritò refertur.*

QVÆST. III.

*An exilium sit magis aliquid privativum, an v.
positivum?*

Quia exules nihil aliud sunt, quàm homines carentes suã
patriã, officio aliisq; bonis controverti de eò meritò potest an
exilium non magis in privatione, hoc est, carentia debita in es-
se consistat, & p. c. sit ens privativum. Sed *respondendum* vide-
tur, *privationem illam si accuratè philosophari amamus, esse ma-
gis causam, exilii, quàm exilium ipsum.* Si enim quis suò privatur
officio & loco fixo necessariò sequitur emigratio, do-
lor atq; tristitia, in quibus exilium accuratè loquendo consistit.
*Defendimus itaque magis exilium esse aliquid positivum, quàm pri-
vativum. Probamus thesiam nostram (1) ex definitione entis & na-
turâ exilii.* Si enim ens positivum à choro Philosophorum id
definitur, quod sit *ens ponens veram essentiam in rerum naturâ,* se-
quitur exilium esse ens positivum. Sed verum est prius. *Vid.
Johannis Weis Metaph. p. 24. 25. E. & posterius.* Necessitatem
consequentiam probamus, quia *exilium nihil aliud est, quàm mole-
stia, dolor atq; tristitia (quæ omnia positiva) ob amissionem invitã pa-
triam*

patria, officii, aliorumq; bonorum adherentium facta. (2) Ex natura entis privati. Privatio secundum Weils. l.c. & alios infert earentiam rei debitæ in subiecto capaci s. earentiam rei debitæ inesse naturâ, secundum Dn. B. Scharf. Sed nemini patria officium & alia bona extrinseca, quorum ab amissionem aliquis exul habetur, tanquam debita, multò minus naturâ insunt, atpote quæ omnia homini contingenter & extrinsecus accidunt. Si quis autem fuerit, qui privationes etiam ad exilium referri, urserit, cum eo non adeò disputando contendere volumus, modò distingvat inter privationem Grammaticè & Logicè sic dictam: Hanc non concedimus; illam ambabus manibus largimur: item inter privationem activè & passivè acceptam. hæc est durans & homini exuli privato bonis bene convenit: illa est transiens & tantùm ad causatores exiliorum refertur.

QVÆST. IV.

Quæ igitur propria natura exilii?

Qvæstio est, quænam sit definitio exilii. Ubi distinguendum putamus inter id, quod necessariò & immediatè exilium aut antecedit, aut accidentaliter concomitatur s. consequitur: & inter id, quod essentialiter exilium constituit. Concedimus, ejectionem è patriâ s. officio privationemq; qualemcunq; earundem exilium necessariò & immediatè antecedere; sed in iis natura exilii accuratè loquendo non consistit: damus contemptum paupertatem aliasq; molestias exilium comitari; sed in iis secundum accuratum philosophandi genus naturam exilii consistere hoc est quod pernegamus. Putamus autem sic exilium esse describendum, quod sit status hominis molestus atq; dolorosus, ubi quis ob patriam s. officium aliq; bona necessariò conscientie vinculo, invitè amissa hospitiumq; alibi querendum multa mala dolores atq; tristitiam pati necessitatur. Non igitur emigratio præcisè exilium constituit. Potest enim aliquis in patriâ s. locò ubi officio & bonis privatus, permanere, qui tamen ideò numero exulum non excludendus. Sicuti multi in cavernis e. g. Bohemicis tempore persecutionis & inquisitionis privatae & publicæ conditionis hærent. Eleganter quidem, sed satis miserè exulum Lutheranorù Bohemicorum latentium in cavernis & Sylvis statum depingit Ge-

orgius Holyck insignis quidam exul in suo tractatu: Blutige
Thränen des Böhmerlandes p. B ij. Inter alia dicens: da (si post
diploma editum anno 1624. ut omnes exulent) gieng denn eine
allgemeine Trennung an/das diese in die benachbarte Länder/ ande-
re aber in die Höhlen und unbekante Winkel sich zerstreueten und
verborgen &c. ubi sacra peregerunt. Nec ille exul propriè adæ-
quatè & strictè loquendo est denominandus, qui extra suam pa-
triam sine necessariò conscientia vinculo vagatur & peregrina-
tur: aliàs qui ob artes suas meliùs addiscendas s. pro lubitu re-
giones pervagantur pro exilibus sensu nostro etiam essent ha-
bendi. Stante autem hac definitione exilii inde quando dicitur:
homo pellitur in exilium idem est, ac si dicas *homini infligitur
dolor atq; tristitia, quæ passurus est ob privatam patriam officium,
aliq; bona amica.* Et quando dicitur, *homo est in exilio*, eò in-
fertur, *hominem esse in statu tristi atq; doloroso ob eandem priva-
tionem.* Nec obstat, *inveniri exules, qui non adeò magnò dolore
atq; tristitiâ afficiantur: quin imò, multos esse cordatiores & letio-
res in suo exilio, quàm antea fuerint.* Hoc enim fit per accidens
& oritur à Spiritu Sancto sive (si hòc cui *Φιλοσοφείν* non videa-
mur) à bona conscientia hominem excusante. *Nihil enim ita ho-
minem exhilarat* inquit Nazianz., citante Dresser. mill. 5. *Isagog.
histor. p. m. 158. quàm conscientia bona.* Nos loquimur de inten-
tione inimicorum & naturâ exilii quæ semper secum fert dolo-
rem atq; tristitiam, etsi vel maximè actu secundo exul semper
tristis non videatur.

QVÆST. V.

*At annon sic stante definitione detur exilium
aliquod spontaneum sive voluntarium?*

*Voluntarium aliquod exilium non esse negandum, illudq;ve
partim personarum politicarum, partim ecclesiasticarum, & ra-
tio svadet, & historia loquuntur.* Joachimus Cureus in annalib; *Silesiacis* refert p. 42. Boleslaum II. regem Poloniæ in sponta-
neum exilium profectum fuisse. Et propter Secechum superbum
aulicum multi viri nobiles & magni in exilium voluntariam
ipso

ipſo jam Citato ſic loquente p. 43. in Bohemiam è Poloniã profi-
ciſcuntur tempore Wradislai, I. Poloniæ Ethnarchæ. Ut tace-
am de Rixâ Reginâ Poloniæ ejusqve filio Caſimiro. Sed (1) compa-
ratè & certò reſpectu illud intelligendum eſſe præſupponimus. Multi
tam violenter expelluntur, ut ſpatio horarum quarundam ditio-
nem exeant. Et horum reſpectu voluntarii ſ. ſpontanei dicun-
tur illi, qui non tam violento eodemq; ſpeciali mandato ſunt ex-
pulſi; ſed aut generaliori aut mitiori. Maximè autem ſpontanei
illi qui nullo externò mandato humanò; ſed interno eodem-
qve divino & neceſſariò motu moventur. (2.) Spon-
taneum aliquod exilium dicimus ſ. voluntarium non à priori,
ſed à poſteriori. Omne exilium à priori eſt invitum, Nec us-
quam inveniri, qui patriam dulcem, poſſeſſiones officium a-
liaqve non neceſſitante aliqua præcunte cauſâ ſponte deſerat.
Sed quando jam vinculo conſcientiæ neceſſitatur, reſq; aliter ſe-
ſe habere nequit patienter crucem illam ſibi à DEO impositam
excipit & paupertatem miſeriamqve h. e. exilium præ gaudio
mundano malâ conſcientiã ſ. periculo vitæ conjunctò eligere
ſtudet.

QVÆSTIO VI.

An exilium recipiat magis & minus incre- mentum & decrementum

Omninò. Exilium quoad qualitatem & paſſionem magis &
minus incrementum & decrementum admittit. Distingvimus ta-
men hîc inter magis & minus nominaliter & adverbialiter acce-
pta. Majus eſt exilium uxorati, quàm cœlibis h. e. maroles do-
lores atqve moleſtias vehementiores pati neceſſitatur uxoratus
atqve liberis donatus, quàm qui iisdem deſtituitur. Majus eſt
exilium divitis h. e. qui multa reliquit, quàm qui parùm & ni-
hil. Sic dolor ille & moleſtia h. e. exilium modò increſcit modò
decreſcit, & tandem planè evaneſcit: h. e. quando jam inter pios
homines verſantur, cum iisdem converſantur, & ab iis-
dem beneficiis atqve officiis ornantur homines pii, exilium
annihilatur ſucceſſu temporis.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

Num exilium sit malum ?

Resp. (1) *Distingvendo inter exilium consideratum essentialiter & accidentaliter*: Exilium quoad essentiam non est malum, quia omnis essentia est bona (2) *Distingvitur inter malum triste & turpe s. inter malum pœnae & culpæ*. Exilium non est malum turpe aut culpæ; etiamsi malum triste & malum pœnæ dici possit (3) *Distingv. inter malum purè vindicativum & medicinale s. curativum*, utpote quod potius bonum, quàm malum dici meretur. Bonum itaq; est exilium, non malum, licet non respectu subjecti, cui infligitur (respectu cuius omnis pœna rationem mali habet ut D. Joh. Mus. disput. de æqualit. in jure partic. observ. §. 46. loquitur) tamen vel originaliter quatenus à DEO justo & bono, vel consequenter; aliquid boni à DEO per id intenditur. Hinc optimè Augustinus enchir. ad Laur. c. 13. DEUS, ait, omnipotens cum summè bonus sit nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis nisi usq; adeò esset omnipotens & bonus, ut bona faceret etiam ex malò. (4) *Malum* (testantibus philosophis) non est nisi à causa particulari. Sed exilium à DEO tanquam à causâ universalis: eatenus igitur malum esse non potest. Quicquid autem mali circa idem obtingit, causis particularibus est adscribendum.

QVÆSTIO VIII.

Sed anne Deus rectè dicatur causa exiliorum principalis.

Imò rectissimè, sano tamen sensu. Quia autem in Theologica nostrâ disputatione hanc quæstionem pertractavimus, hinc quæ omisa videntur, quasi repetemus. Probamus negari non posse, DEUM esse causam Exiliorum principalem (1) quia DEUS est causa omnis boni E. etiam exiliorum. Nam quoque exilia sunt essentialiter bona. (2) quia DEUS dirigit huncce statum miserum, exules pios tuctur, eosdem beneficiis coronat, & tan-

tandem exhilarat atque liberare studet. *Quare autem (dicitis) tyranni atque hæretici accusantur?* R. *distingvendum esse inter causam principalem s. universalem & inter instrumentalem s. particularem: item inter finem ac intentionem DEI atque hominum.* Ab illa ad istam argumentari non est licitum, nec vice versa. DEUS tanquam causa principalis est justus; homines verò sunt iniusti. DEUM offenderunt homines exules; tyrannos verò atque hæreticos non item. Sine igitur omni culpâ injusto odio, inimicitiiisque ab iisdem offenduntur. *Deus intendit bonum; homines verò malum.* Non E. valet consequentia. Deus est excusandus sive probandus E. & homines tyranni atque hæretici. Multò minùs ita argumentando procedere licebit: Homines accusantur E. & DEUS accusandus. Distingvendum etiam est semel pro semper inter exilii essentialia & accidentalia.

QVÆSTIO IX.

An scripta orthodoxorum causa exiliorum per se, an verò per accidens dicimereantur?

Scripta polemica suo modò ad exilia efficienda concurrere negari non potest. Res est in aprico. Vitam degentes inter hæreticos legunt scripta Polemicorum: illuminati autem aut cum hæreticis contra conscientiam colludere aut iisdem contradicere necessum habent. Illud est peccaminosum & iram DEI excitat; hoc verò periculosum. Nam qui cordatiores sunt, atque adversariis contradicunt aut martyrio coronantur, aut in exilium dimittuntur. Hinc multi prudentiores, licet timidiores videantur, ex hæreticis exsiliunt, aut cum pace abeunt, seseque corpori Ecclesiastico adjungunt, non metuentes futuras molestias, nec verentes paupertatem, nixi spe futuri emolumenti. *Querentibus autem, quomodo comoti fuerint, respondent: se diligenter perlectis scriptis orthodoxorum tam doctrinalibus, quam polemicis comotos fuisse.* Itaque non immeritò queritur, an scripta

B

sine

sint exiliorum causa per se, an v. per accidens. Respondemus. Si-
cuti exilia non sunt unius conditionis: Ita quoque non uno modo ad o-
mnia verbum DEI sive ἔγχαρον sive ἀγχαρον & p. c. scripta or-
thodoxorum concurrunt. Hinc aliorum sunt causa per se: sc. quæ
cum intentione scriptorum fiunt; aliorum verò causa per acci-
dens, sc. quæ citra intentionem eorundem accidunt circa exilia.
Sed jam non immeritò quæritur an, quorum causa per accidens
etiam vera causa sint? Respondemus stante illâ hypothesi, cau-
sam per accidens esse verâ causam (ut disputationibus apologeti-
cis duabus contra alios defendit olim B. Scharfius noster), sequi-
tur scripta polemica esse veram causam. Sed verum est prius.
E. & posterius. At, inquis E. non sine causa accusantur orthodo-
xi ministri, quod sint odii & persecutionum multorumque tumultuum
causa. Resp. (1) Negando consequentiam. Nam peccatorum
atque vitiorum, qualia sunt odia & persecutiones adversario-
rum non dantur causæ efficientes, ut accuratissimè philoso-
phantur eruditi; sed tantum deficientes, quæ in proxima causa h. e.
perversa natura hominum & diabolo quærendæ. Nullo itaque conse-
quentiæ connexionem infertur: Est causa exilii per accidens E. etiam o-
dii atque persecutionis. Illud enim effectum, hoc defectum infert: il-
lud est causæ remotæ; hoc vero proximæ. Dein quod verò salus ho-
minis non possit obtineri, nisi præeunte persecutione; & quasi o-
mne exilium necessariò prærequirit odium atque persecutionem.
Præterea semper distinguendum est inter exilii essentielle & acciden-
tale.

QUEST. X.

An virtus possit esse causa exilii?

Quidni? Sæpissime accidit, hominem propter constantiam
in veritate, aliasque virtutes heroicas, (sicuti de ducibus Athe-
niensibus historiæ loquuntur) in exilium mitti; ideoque ne-
gari non potest, virtutem posse esse causam exilii. Verum in-
telligendum hoc est de causa non per se; sed per accidens. Non
enim hoc intendit virtute suâ homo veritatis & heroicæ virtutis
studiosus, ut exilium & molestias sibi acquirat; sed quod effectus
ille

ille actiones ejusdem laudabiles consequitur, hoc præter ejus intentionem h. e. per accidens contingit.

QVÆST. XI.

*An casu atq; fortunâ homini accidat exilium,
an v. necessariô aliquo constellationis
influxu?*

Physica hæc est quæstio & Mathematica, quam accuratio-
ribus Matheseos studiosis relinquimus prolixius enodandam.
Nos breviter negamus alicui necessariô aliquo constellationis influxu
exilium accidere: affirmamus potius, hominem casu atq; fortuna exi-
lio multari. Distingvimus tamen inter casum atq; fortunam Gram-
maticè Theologicè sumtam, quod Germanus exprimit ohne gefâhr
quatenus contradistingvitur ab Epicuræis Providentiæ Divinæ,
ut idem significet, ac si diceretur, hominem aliquem sine
Providentiâ DEI in exilium mitti: & inter casum atq; fortunam
Physicè acceptam, quatenus contradistingvitur necessitati Stoicæ
si necessariô constellationis influxui, ut sit, hominem necessariô
coeli fato puniri exiliô. De hac posteriori acceptione nobis
sermo est; non verò de priorî, quando affirmamus casu atq; for-
tunâ hominem in exilium pelli, non necessitante, cælo. Ratio
est: quia astra tantum inclinant, non necessitant.

QVÆST. XII.

*An exilium sit vocabulum turpe & igno-
miniosum?*

Hoc est, an exilii status homini exulanti aliquam maculam at-
que turpitudinem per se inferat. Ubi respondemus negando;
Negativæ nostræ confirmationem petimus à recensione omni-
um exilii specierum. Non enim exilium Theologicum tale est, ut-
pote quod ad gloriam DEI atq; salutem proximi vergit, & ex

B 2

parte

parte immediatè à DEO profluit. *Nec Politicum exilium est ignominiosum. Non Grecum*, per ostracismum factum: Etenim non erat pœna malefactorum (ut eruditè Kromajerus in annot. ad Cornel. Nepot. p. 162. discurret); sed honesta actio s. expulsio virorum excellentium ostracismus ad decennium extensum, popularis equalitatis & libertatis conservanda gratia excogitata. Honestum, inquit, eum dicimus. Non enim cum ignominia vel bonorum publicatione conjunctus erat ostracismus. Imminuebat famam politicè duntaxat in regimine haut administrando amplius; non ethicè respectu ad honestum habito. Inde medicinam eum Plutarchus in Niciâ nominat, cujus ope ad expurgandam civitatem constituto tempore populus solebat uti. Nam exilium ei indicebatur, qui ceteros gloria, divitiis, existimatione superabat. Haecenus jam laudatus Dn. Kromaj. Sed nec Latinum s. Romanum exilium erat vocabulum ignominia, sicuti optimus Latinitatis autor Cicero comprobat, scilicet partim in orat. pro domo, ubi dicit: *Quid enim exul? Ipsum per se nomen calamitatis, non turpitudinis*: partim l. 5. Tusc. qq. ubi ita: *Jam vero exilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum demùm à perpetuâ peregrinatione differt. Nec communiter ita dictum exilium per se ignominiam involvit, quia ejusdem forma omni turpitudine caret. E. nullum exilium est ignominiosum. Hic tamen iterum volumus distingvi inter exilii essentialè & accidentale.*

QVÆST. XIII.

Sed annon exilium Graecorum per ostracismum factum justum fuerit?

Meritò de eo quaeritur. Atq; satis intricata hæc videtur quaestio, cujus etiam ipse Theoph. Golius meminit ex Arist. l. 3. polit. c. 9. p. 168. seqq. Nam si ostracismus honesta actio fuerit, uti antea dictum, quomodo injustum poterit exilium dici? Si virtus potius præmiis ornanda, quàm exiliis oneranda, quomodo exilium illud virorum excellentium honorandorum potius quàm ejiciendorum justum, esse poterit? Nos secundum ductum jam laudati

laudati Viri breviter respondemus distinguendo inter actionem in se
& ratione finis consideratam: item inter justum Ethicè atq; Politicè:
item inter statum reipublica rectam bonumq; & inter eundem vitio-
sum atq; corruptum. Etsi in se & ratione justitiæ Ethicæ non vi-
deatur justus ostracismus inq;ve Republ. rectâ atq; perfectâ: Ju-
stus tamen videtur, justumq;ve inde productum exilium ratione
finis & justitiæ Politicæ in republ. corruptâ. Ubi aliquo modo (ut
Theophil. Gol. l. c., p. 170 loquitur) utile & justum videtur, ejusmodi
virum, qui propter virtutis excellentiam non potest pari jure, & iis-
dem legibus cum cæteris vivere, non habendum esse pro cive: propter
ea, quia videtur quasi Deus esse inter homines. Et quamvis exilia il-
la non semper fuerint justa ratione personarum quarundam; at-
tamen ratione finis satis justa videntur. Quin si diceremus ea-
dem etiam ratione personarum justa. Fuerunt enim illi Athe-
nienses duces membra civitatis, subscripserunt legi: *Nemo, di-
centi, inter nos excellat unus. Si quis autem fuerit, exeat urbe, &
sit inter alios.* Sicuti autem volenti injuria fieri nequit: ita nec
illa virorum excellentium exilia (quæ, ut Aristot. loquitur l. c.
non ad improbitatem castigandam; sed ad potentiam moderandam
& æqualitatem civium conservandam fiebant) iniuriosa esse
possunt.

QVÆST. XIV.

An exilium hominem virtuosum reddat infelicem?

Idem est ac si quæretur: *An exilium hominem virtutibus de-
ditum, sive virtutes intellectuales, sive morales intelligas, è felicitatis
gradu deicere, aut summum bonum tollere possit.* Magna fuit con-
troversia inter Platonicos & Aristotelicos, an amitti felicitas
Ethica possit? illi enim affirmabant; hi verò negabant. Prolixius
hanc quæstionem pertractat Wendelin. in philos. moral. p. 140.
seqq. distinguendo ex alio inter felicitatem practicam & theo-
reticam. Nos ut ad ζητημα paucis respondeamus, distinguimus
inter

B 3

inter

inter felicitatem Politicam & Ethicam. Secundum felicitatem Politicam omninò homo in exilio constitutus quatenus amisit officium, possessiones atqve media ad vitam necessaria in felix videtur; sed non item secundum felicitatem Ethicam. Licet enim virtutem non eo modo, quò antea, exercere possit exul; non tamen omne exercitium virtutis, multò minus habitum, amisit. Distingvendum itaq; putamus (2) inter felicitatis obscuritatem & plenariam amissionem. Obscuratur interdum felicitas hominis virtuosi; sed ea propter non planè tollitur. Eleganter hac de materiâ Theophs. Golius suprâ laudatus discurrit in comment. Eth. p. 47. & 49. cujus verba digna, qui adscribantur. Sic autem ille: Si Stoicorum more mihi respondendum esset, simpliciter affirmarem, virum bonum in utraq; fortunâ prospera & adversa aqvè beatum esse, qui sapientem etiam rota affixum & tauro Phalaridis inclusum nihilominus propter virtutem beatum esse asserunt. Sed magis mihi placet Aristotelis distinctio quâ in hoc loco utitur: & ostendit fortune casus non quidem posse viro bono suam felicitatem planè auferre; sed tamen interdum solere eam affligere, & non nihil obscurare. Quæ est illa (Aristotelis) distinctio? τὰ τυχευτὰ β. ε. Ea, quæ homini à fortunâ solent accidere, distingvuntur duobus modis: vel τῆ ποιότητι qualitate: quod alia sunt Bona alia mala: vel τῆ ποσότητι quantitate: quod alia sunt multa atq; magna, alia pauca & parva. Ea, quæ sunt parva & pauca sive sint bona sive mala, non possunt asserre aliquam mutationem in vitâ beati. Deinde ea, quæ sunt magna & multa si fuerint mala affligunt quidem & quodammodo labefactant beatitudinem boni viri: quia asserunt ei aliquem dolorem, & impediunt eum in exercitio virtutis, non tamen beatitudinem ei prorsus adimunt, ut ex beato fiat miser. Proinde vir bonus in tali fortuna constitutus, licet non possit perfectè beatus nominari, quem Greci μακάριον vocant: tamen non poterit etiam miser aut infelix dici; sed appellabitur εὐδαίμων ὡς ἀθεωπ & felix s. beatus tanquam homo existens; non autem tanquam DEUS, cui soli competit perfecta beatitudo. (3) Disting. inter felicitatem φαινομένην & ἀληθῶς spectatam: item inter eandem absolutè & respectivè s. comparatè consideratam. — Et si videantur homines

homines ob possessionem patriæ, officii honesti &c. felices: & contra ab eorundem amissionem maximè infelices; id tamen si ad verum exigatur in rei veritate tale non est. Sed sapissimè infelicitas exilii respectu felicitatis anterioris magis est dicenda felicitas, quàm infelicitas: & felicitas respectu infelicitatis apparentis in exiliò potiùs dicenda infelicitas quàm felicitas. Ratio est, quia mutatio illa homini plerumque est salutaris ad vitam æternam. Quæ enim felicitas major? illane, quæ cum malâ conscientia an quæ cum bona conscientia conjuncta? illane, quæ sine DEO, an quæ cum eodem? illane, quæ cum periculo vitæ, an quæ cum pace connexâ. Nos putamus statum cum bona conscientia & pace conjunctum atque cum DEO existentem, qualis est exulum miserorum præferendum esse adverso. Colophonem hîc addentes disputationi nostræ provocamus ad ipsum Salvatorem nostrum dicentem: Quicumque deserit domos fratres, sorores patrem & matrem propter Nomen meum centuplicatò recipiet, & vitam æternam hæreditabit.

SOLI DEO GLORIA!

COROLLARIA.

1. *An exilia heroum sint uehementiora reliquis?*
Resp. Affirm. quia affectus eorum sunt uehementiores.
2. *An detur aliquod exilium non-necessarium h. e. euitabile. Resp. Affirm. v. gr. eorum qui ob gravia delicta removentur.*
3. *An detur aliquod exilium κατ' ἐξοχήν ita uocatum? Resp. Affirm.*



Non est exiguae Virtutis, tendere mentem
Plus ultra, & partum condecorare
decus.

Talem Leucorides Tenorunt, DOCTE MA-
GISTER,

Quem studium Eusebies Panfophiesque
juvat.

Exilium nuper multam cum laude stitisti,
Idque sacro cultu sistere cura fuit.

Jam mutas habitum: quem praebet Phi-
losophia,

Hunc capis, ut Musis inde placere queas.

Gratus uterque labor. Faxit pia gratia Coeli,

Ut Tibi pro meritis commoda grata ferat.

Sic & solari poteris, KRÜGERE, laborem,

Qui tuus in Domino nullus inanis erit.

Fata viam invenient. Forsan lux postera
prodet,


Quod prior ante Tibi visa negare fuit.

כלא לב ורב

scr.

PRÆSES.





Handwritten numbers in blue ink, possibly "111" and "111".

Handwritten numbers in blue ink, possibly "111" and "111".

99 A 6958


ULB Halle 3
002 928 515


WD 19

Rehov







I. N. 7. XXXVII
DISPUTATIO PHILOSOPHICO-PRACTICA 21
De

EXILIIO,

quam
proprio Marte elaboratam.

PRÆSIDE
VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimoq;

DN. JOH. FRIDER. SCHARFIO,

J. U. D. celeberrimo & h. t. Procancellario atq; Decano
Philosophicæ Facult. in Academ. Wittebergenfi

Speçtatisimo

*Dn. Patrono & Studiorum suorum Promotore multùm colendo,
publico examini submitter*

M. GEORGIUS Krüger /

Rector Ol. Scholæ Storcov. apud Marchicos, nunc Civis
Academ. Wittebergenfis

ad d. 17. Octob. An. 1674.

In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

